



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ovu & lacticinii, parag 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

Respondeo posse; quia Privilegium hoc, quo ad lacticinia, est absolute concessum, & quidem ad libitum, nec restrictum ad conditionem jejunandi.

## §. III.

*Ovis, & Lacticinis.*

1. **Q**uid veniat lacticiniorum nomine, *a Lib. 4. in Decal. c. 5. §. 1. a. n. 19. b Ibidem a. n. 14.* Quid ovorum *a* alibi dixi, ut item *b* dixi, non intelligi Sanguinem, Medullam, Laridum, Assuntiam, pinguedinem quamcumque licet probabiliter in nostro Sicilia Regno intelligatur Sagimen ex Sue, quod est Laridum Suis liquefactum.

2. Sed hic dubitabis Primo, quid de Sagimine liquefacto ex adipe aliorum animalium, Gallinarum, Anserum Cervorum?

Respondeo, non intelligi, saltem in nostris Regionibus, nomine lacticiniorum; Ratio est, quia fundamentum, unde loco citato diximus, probabile esse, intelligi Sagimen Porcinum, est quia in nostris Regionibus illud communi hominum existimatione connumeratur inter lacticinia. At non video, Sagimen aliorum animalium, cum rariū sit, ita connumerari. Quare licet physice eadem sit ratio de hoc, atque de Suillo, non est tamen moraliter, & ita sustinet *e Bard. p. 2. tr. 3. c. 3. n. 15. & 16.* ipse citat, qui fortasse pro nostris Regionibus contrarii non essent nostræ sententiæ.

3. Dubitabis Secundo de Ovis, quæ vocamus, & certè sunt nonnata.

Respondeo. Dixi ibidem, enumerari inter lacticinia, non vero racemum, unde ea pendunt, quia illa sunt eadem substantia ac Ova, hic est ipsissima Caro. Pater Bardi refugit numerare inter lacticinia Ovicula illa instar acini, quæ dicto racemo sunt affixa, quia adhuc, inquit, retinent naturam sanguinis, & non sunt in substantiam Ovi conversa. Sed profecto sapor, color, aliaque omnia ostendunt, ea non esse sanguinem, sed jam concreta in substantiam ovi.

## §. IV.

*Excipiuntur Patriarcha &c. ab indulto lacticiniorum.*

1. **I**n Jejunis Quadragesimalibus vesci lacticinis non possunt cum Bulla hac

communi, quam nunc explicamus (nam cum alia, §. 5. dicemus) Primo Prælati. Secundo, quævis persona Regularis, Tertio omnes præsbyteri sæculares, excipe nisi prædicti fuerint Sexagenarii.

2. Dicitur est autem (Quadragesimalibus) nam certe possunt in Sextis Feriis, & Sabbatis, & in Jejunis Vigiliarum, & Quatuor Temporibus, quæ non incidant in Quadragesimam. Ratio est, quia Bulla solum Quadragesimæ Jejunia excipit.

3. Dicitur item est (in Jejunis) nam de Dominicis Quadragesimæ, quando non Jejunatur, dicam mox à num. 14. Verum dicuramus de tribus prædictis Classibus personarum separatim.

*Omnes Prælati.*

4. **I** sunt primo Patriarchæ, primates, Archiepiscopi, Episcopi. Secundo, alii Prælati inferiores, ut Abbates, Generales Religionum, provinciales, Superiores Locales ordinarii, hi enim omnes sunt Prælati, idest habentes Jurisdictionem ordinariam, eamque spiritualem.

Inter Episcopos (sub quo nomine intelligitur in posterum omnes primi generis) & inter Prælatos Inferiores, est unum discrimen: nam hi Inferiores renunciata Prælatu, vel finito ejus tempore, cum non sint amplius Prælati, nec aliquid ejus Dignitati habeant, ut supponimus, non excluduntur tunc, ab hoc Indulto, nisi sint Religiosi. At Episcopi, renuntiato Episcopatu, quia semper remanent in Dignitate Episcopali, semper excluduntur.

5. Dubitabis porro hic primo. Episcopus solum electus, sed nondum confirmatus à Pontifice, excluditur ne? Respondeo. Non excluditur: quia nondum vere est Episcopus.

6. Quid si sit confirmatus, sed nondum consecratus? Respondeo, excluditur: quia vere tunc acquisivit potestatem Episcopalem exercendi Jurisdictionem temporalem, & spiritualem; Unde potest censuras ferre, approbare Confessarios, Indulgentias concedere &c.

Dico (potest) nam cæterum, ut actu exerceat, debet accepisse possessionem Episcopatus. quod recte notat *d Azorius*.

7. Dubitabis Secundo. Cardinales excluduntur ne ab hoc Indulto vescendi lacticinis, si forte legitime Bullam sumant? Respondeo.